



Disputatio juridica inauguralis de usuris

<https://hdl.handle.net/1874/347241>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE

20.

U S U R I S,

Q U A M,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. HERMANNI van HALEN,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii, Verbique Divini ibidem in
Ecclesiâ Præconis,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimæque
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU LICENTIÆ

Summisque in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
ritè & legitimè consequendis,

Eruditorum examini subicit

GULIELMUS DE BYE, HAGA-BATAVUS.

A. D. 24. Julii, hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clō lōc LXXXIX.

38

DISPUTATIO JURIDICA
IN A. G. K. A. S.
DE

U S U R I S.

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Illustrissimi D. Rectoris,
D. HERRMANNI VON HALLEN,

22. Theologie Professor, ordinarium, in hujusmodi Academiis
Universitatis Professor Ordinarius, Veridicus Divinus in
Ecclesia, etc.

W E C H O N

Prolegomena ad doctrinam de usuris, etc.

PRO GRADU LICENTIAE

in UTROQUE JURE honoribus & privilegiis
etc. & legitime condignis

GUILIELMUS DE BYR, HAGO-BATAVUS
a. d. 1774. Julii, festi Jacobi, etc.



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HAEMAE, Academiæ
Typographi, c. h. l. x. x. i. x.

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

DE

U S U R I S.

T H E S I S I.



Suram Veteres pro usu dixisse certum est. Qua in significatione ea vox sumitur à Cicerone *lib. 1. Tuscul. Natura*, inquit, *dedi usuram vita, tanquam pecunie nulla præstitura die.* Idem pro Rubir. & Verriana 7. *Usuram lucis.* *Lib. 3. Epist. ad Appium pulchrum, Usuram temporis* dixit pro usu temporis. Plauto *uxor usuraria*, *cujus usuram*, id est usum corporis ad tempus aliquis cepit. Idem in *Trinummio.* *Nec adeo hæc emi mihi, nec usura mea*, id est ad usum meum. Et hac significatione creditor ipse usuram dat, nullumque mutuum est sine usura, id est sine usu. Usura vero, quam debitor pro usu pecuniæ solvit, longe aliam notionem habet. *Vectura* vocatur merces, quæ pro vectione datur *ναύλον.* *Latura* quod pro onere ferendo accipit bajulus, *Φόρετρον.* *Mercatura* lucrum de merce, ut notat Nonius. Similiter & usura est merces, quæ pro usu pecuniæ præstatur. Et observare licet Veteres Auctores, usuram de usu in numero singulari potius usurpasse, usuras vero dicere maluisse plurativo, quæ ob usum scenebris pecuniæ debentur Græcis *τόκοι.* *Cic. Verrin. 4. Quis enim hoc fecit unquam, ut cum Senatus publicanos usura sepe juvisset, magistratus a publicanis pecuniam pro usura audeat auferre?* Qui pecuniæ usura aliquem juvat, is est, qui pecuniam illi dat utendam. Usuras pro pecunia aufert, qui exigit mercedem pro usu pecuniæ. Usura igitur proprie loquentibus est *χρῆσις.* Usuræ *τόκοι.* Hinc usuræ trientes, quincunces, semisses &c. *centesimas singu-*

las dixit Cicero in *Epistolis ad Atticum*, & *binas centesimas*. §. *Verrina*. In hac posteriori significatione usura hoc modo definitur. *Usura est merces, quam debitor praestat creditori pro usu sortis debita*. l. *deducta*. §. *cum autem* 6. *D. ad SCtum. Trebell.* & l. *Socium*. 60. in *pr. D. pro socio*. Sors hic significat quantitatem principaliter debitam. Usurae sunt accessio sortis, & ideo sublata obligatione sortis, & ipsa deberi desinunt. l. *qui per* 49. §. 1. *D. de act. empt. A. Vinn. Select. Quaest. lib. 2. quest. 9.*

II. Præmittenda hic est quaestio generalis, An usuras præcipue ex causa mutui stipulari & in conventionem deducere liceat? Quod affirmo, licet a multis Theologis & Canonistis negetur, quorum argumenta hæc fere sunt. Opponunt primo *Psal. 15.* ubi Propheta inter cæteras notas ejus viri, qui habitabit in Tabernaculo Dei, hanc describit, *si pecuniam suam ad usuram non dederit*. Respondeo, convenit inter omnes eruditos & doctos Hebraicæ Linguae illic non nominari omnes usuras, sed specialem, nempe, *que rodat proximum*. Hoc est quasi dicat, qui non dedit pecuniam suam ad rasionem. Instant & objiciunt verba Salvatoris apud Lucam *Cap. 6. Mutuum date nihil inde expectantes*. Respondeo, Christus ibi non tam loquitur de præstatione usurarum, quam de restitutione sortis his creditæ, qui paria reddere non possunt. Non obstat quod pecunia res sit sterilis, quia ut ager, domus, fundus industria humana potest reddi fecunda, &, cum pecunia mea tibi sit fructuosa, cur mihi non liceret exigere partem lucri, quod mea pecunia, & quasi opera mea est acquisitum? Et licet officium mutuandi debeat esse gratuitum, non tamen inde sequitur, quod usurae non sint licitæ, quia tantum gratuitum esse debet egeno nostra pecunia ad necessaria egenti: diviti vero inde lucrum non necessarium quærenti non item; ad prius obligamur, ad posterius non æque. Non juvat dissentientes argumentum Thomæ Aquinatis *secunda secunda quest. 78. artic. 1.* qui dicit in contractu usurario vendi id quod non est, quia venditur usus sortis, qui ab ipsa sorte non potest seorsim æstimari. Respondeo, falsum esse quod acceptione usurae vendatur id quod non est, an autem officium mutuandi nullum? an occasio & facultas

tas subministrata proximo pecuniam nostram in rem suam ver-
tendi, & censum suum ex ea augendi nullius plane rei? an in-
justum, in partem aliquam istius compendii & lucri venire cre-
ditorem? Opponunt Denique *l. is qui* 13. §. 1. *D. commod.*
ubi dicitur quod illi res non debeat esse quæstuosa, cujus non
est periculo, atqui pecunia mutuo data non est periculo creditoris,
sed debitoris *l. incendium*. 11. *C. si cert. per.* Respondeo, quod
mutuum sit debitoris periculo pendet à jure dominii, quod ha-
bet, & quia genus perire non potest. Male inde concluditur
creditorum pro usu pecuniæ nihil stipulari posse, quoniam de-
bitor pecunia in commodum suum uti intelligitur, & credi-
tor pecunia, qua interim caret, lucrum facere potuit. Do-
nell: *ad autb. ad hec C. h. t. Num. 12. & seqq. & Wissenb. di-*
spnt. ad h. t. ff. th. 3.

III. At cum dicitur quod Usura sit Accessio sortis, seu
quantitatis, intelligendum est, quantitatis nomine hic venire non
tantum pecuniam numeratam, verum omnes res, quæ mutuam
functionem recipiunt in suo genere, & quæ pondere, numero
& mensura constant *l. mutuum*. 2. §. 1. *D. de reb. cred.* ut sunt
Vinum, Oleum, Frumentum &c. Quod pro nummis Usuræ
exigantur, patet ex *l. 1. 2. & 3. C. h. t.* Quod vero ad hor-
deum vel frumentum Usuræ accedant, indicat Imperator Ale-
xander in *l. frumenti*. 12. *C. h. t.* & Philippus Imperator aperte
respondit, oleo quidem, vel quibuscunque fructibus mutuo
datis Usuras deberi in *l. oleo*. 23. *C. h. t.* Non obstat quod Con-
stantinus rescriptis, pro auro & argento & veste licitas solvi, vel
promitti Usuras *l. pro auro*. 25. *C. h. t.* Hoc enim debet intel-
ligi de pretio quanti illæ species æstimatæ sunt. Veluti si mihi
roganti decem aureos dari mutuos tu dederis aurum æstimatum,
& convenit ut æstimationem redderem cum Usuris, conventio
valet & Usuræ debentur. Wissenb. *ad h. t. Disp. th. 1. Perez.*
ad eund. tit. C. num. 3.

IV. Vulgo nec male dividitur Usura in tres species, com-
pensatoriam, punitoriam & lucratoriam. *Compensatoria* est,
quæ præstatur, ut compenset justum interesse, quod habet cre-
ditor eo, quod pecunia sua caret. Vero enim officio contrarium
non est, sic alium juvare, ut te serves indemnem *l. sed si quis*. 7.

D. quemadm. test. aper. & l. sancimus. 2 §. c. de adm. & per. int.
Punitoria Usura est, quæ non propter lucrum, sed propter
 moram non solventium infligitur *l. cum quidam 17. §. 3. in fin.*
D. b. t. Punitoria vocatur, quia quasi punit debitorem ob moram,
 quæ alias vocatur delictum *l. dolus est. 44. D. mand. & ibi gloss.*
Lucratoria est, quæ propter quæstum citra moram, aut præ-
 sumptum damnum exigitur ex propria conventionione, quæ enim
 ex mora venit non est ad lucrum, *d. l. 17. §. 3. in fin. D. b. t.*
 & hæc specialiter nomine Fœnoris noscitur, tamen in jure Fœ-
 nus & Usura indistincte usurpentur *l. nihil. 4. D. de naut. fœn.*
& deducta 58. §. 2. D. ad Sci. Trebell. Hæc, cum turpis &
 Christiano minime digna sit, merito ab omnibus rejicitur.

V. Quæ nunc sequuntur his tribus capitibus absolvemus. Pri-
 mo ex quibus causis debeantur Usuræ? Deinde quæ sit earum
 quantitas? Et denique quibus modus deberi definant? Causæ,
 ex quibus debentur, tres sunt, Stipulatio, Pactum & Mora;
Duar. de usur. cap. 2. Ex stipulatione Usuræ debentur in omni-
 bus contractibus *Paul. 5. sent. 7.* In contractibus tamen stricti
 juris, ut mutuo, ex stipulatione tantum debentur, non item
 ex nudo pacto, quamvis illud contractui in continenti adjicia-
 tur *l. 1. & 3. C. b. t.* Non obest, quod dici solet, Pacta in
 continenti adjecta contractui inesse *l. lecta. 40. D. de reb. cred.*
 cum in dicta lege Usuræ non promittuntur per pactum, sed
 dies solvendarum usurarum, de quo antea convenerat, per pa-
 ctum mutatur. Si tamen ex nudo pacto usuræ sint solutæ, non
 possunt repeti, nec in sortem imputari *l. quamvis 3. C. b. t. &*
 mirum non est, cum hoc pactum ponat naturale vinculum, quod
 impedit conditionem *l. si non 26. D. de cond. indeb.*

VI. Præter stipulationem litis contestatio pro causâ haberi so-
 let ex male intellecta *l. lite 35. D. b. t.* ubi lite contestata usuræ
 dicuntur currere. Quod vel potest sumi pro currere incipiunt,
 ut in *l. lecta. 40. D. de reb. cred.* vel pro currere pergunt, ut
 in *l. novatione. 18. D. de novat. & deleg.* Sed hic in posteriore
 sensu accipi dicitur ratio, quia jus in strictis nullam usuræ cau-
 sam præter stipulationem agnoscit. Obstat tamen videtur *l. aliam.*
29. D. de novat. & deleg. ubi dicitur litis contestatio novatio-
 nem inducere, atqui novatio legitime facta, ut principalem obliga-
 tionem

tionem extinguit ita & accessorias usuras *d. l. novatione 18. D. eod.*
 Respondeo ex ipsa lege, quod hoc verum fit in novatione volun-
 taria, non item in necessaria, de qua hic: Illa enim meliorem
 solet facere conditionem creditoris, non deteriorem *l. non solet.*
86. D. de Reg. jur.

VII. Sola quoque diuturna usurarum præstatio non est ea-
 rum causa, si nullum Originale habeant principium *l. creditor. 7.*
C. b. t. & l. si certis. 28. C. de pact. Nec movet quod in actione
 de in rem verso, quæ datur in heredem patris, vel Domini ex
 contractu filii-fam. vel servi, veniant usuræ, quas pater vel do-
 minus longo tempore, saltem decennio præstitit *l. cum de 6. D.*
b. t. Quoniam pater, qui eas diu præstitit, non ideo eas debet,
 quia solvit: sed quia pecuniam fortis in rem suam versam debuit,
 & contractum filii sui agnovit & ratum habuit; quæ sunt ju-
 stæ causæ, cur quis sortem & usuras debeat: si vero heres ex
 fidei commisso inutili per multum tempus non minus triennio
 alimenta annua præstiterit, tenetur in futurum *l. si probaveris. 1.*
C. de fide comm. hoc speciale est favore alimentorum, ut notat
 glossa hic: alias tempus non est modus tollendæ vel inducendæ
 obligationis *l. obligationum 44. §. 1. in versu placet. D. de Obl.*
& act. latius hanc quæstionem tractat Nic. de passeribus in *Tract.*
de Concil. leg. in dissol. Ant. inter l. cum de 6. D. l. & creditor. 7. Ch. 2.

VIII. Excipiuntur tamen casus nonnulli, quibus usuræ in-
 strictis judiciis ex pacto nudo debentur. Ut si civitas alicui mu-
 tuam pecuniam dederit, etiam si usuras stipulata non sit *l. etiam*
30. D. b. t. item in casu *l. Herennius 43. D. b. t.* finge: Fis-
 cus successit Titio, in cujus successione repertum est nomen,
 quod Mævius Titio debeat sine usuris. Ex eo tempore quo
 Fiscus Titio successit, & Mævius fuit inter debitores Fisci, seu
 ut loquitur Modestinus, Mævii debitum percepit, usuræ fisco
 deberi cœperunt. *l. fiscus 6. D. de jure fisc.* ut usuras ex omnibus
 contractibus accipit, licet in stipulatum deductæ non fuerint
l. cum quidam 17. §. fiscus 5. D. b. t. cum autem fiscus Titio
 successisset, & ex debito Mævii fisco usuræ currere cœpissent,
 postea fiscus Actiones, quas adversus Mævium debitorem Titii
 habebat, mandavit Sempronio. Quæritur an Sempronius usu-
 ras ejus temporis, quo Mævius fuit fisci debitor, petere possit?

Affirmat

8 DISPUTATIO JURIDICA

Affirmat Modestinus in *d. l. Herennius. 43. D. h. t.* quia Sempromius mandatis actionibus in locum fisci successit *l. si cum 3. C. de privil. fisc.* *Wissenb. Disput. ad h. t. th. 11.* ex nudo pacto quoque debentur, si frumentum vel alia ejusmodi species credita sit *l. frumenti. 12. & l. Oleo. 23. C. h. t.* quod utilitatis causa ita receptum videtur: favetur enim creditori frumentum mutuanti, si quid accipere voluerit supra sortem, ne damno afficiatur, dum propter variam frumenti commutationem accidere potest, ut minori æstimatione id recipiat, quamvis eadem mensura. Novissime etiam Justinianus idem privilegium tribuit Argentariis, ut possint citra stipulationem exigere usuras, imo citra ullum pactum, propterea, quod soleant illi sine stipulatione contrahere, ac fœnerari vitæ eorum sit institutum *Nov. 136. cap. 5.* ut proinde cum nullas pepigerint usuras tacite pacti videantur Besses, quæ negotiatoribus solent deberi; ut indicat *l. eos, qui 26. §. 1. C. h. t.* in Actione rei judicatæ usuræ quoque debentur ex mora *l. eos, qui 2. C. de Usur. rei jud.*

IX. In contractibus bonæ fidei usuræ debentur ex pacto in continenti adjecto *l. juris gentium 7. §. 4. & 5. D. de pact.* non jure exceptionis, ut in mutuo, sed ex natura & conditione ipsius pacti. *l. initio 5. C. de pact. int. empt. & vend.*

X. Ultima causa præstandarum usurarum in bonæ fidei contractibus est mora *l. mora 32. §. 2. D. h. t.* quæ definitur à Cujacio in *comment. ad l. si ex 23. D. de verb. obl. Mora est solvendi, vel accipiendi crediti frustratoria dilatio.* Non negat Pomponius in *d. l. mora 32. in pr. D. h. t.* moram definiri posse Logice, sed certa definitione, sive regula juris comprehendere posse negat, an & quando mora dicatur facta? est enim hoc facti magis quam juris *l. sciendum 21. & seqq. D. eod. l. qui sine 63. D. de Reg. Jur.* Aliud est quærere, quid sit mora debitoris in genere? Aliud, an sit mora Titii in specie seu individuo; individuorum cum sint infinita, nullæ sunt definitiones. Cribro citius hauseris Oceanum, quam certam infinitorum scientiam assequaris. *Wissenb. Disput. ad h. t. th. 13.* cum igitur mora dicatur dilatio frustratoria, hinc sequitur, quod non committatur ab eo, qui solutionem ex justa causa differt, puta si modicum tempus

tempus sibi dari postulet, ut amicos adhibeat, ut intersint testes solutioni, vel expediendæ, id est, curandæ pecuniæ causa, quia pecunia non semper est in expedito, id est, in numerato *l. si dubitet 10. D. de fidejuss. &c.* vel rogandis fidejussoribus, quia non facile est invenire fidejussores *l. omnes 33. §. 2. C. de episc. & cler.* vel si exceptio justa allegetur, puta exceptio pacti de non petendo, non videtur esse in mora, vel si reipublicæ causa absit, si modo id non fraudandi causa simuletur, sed si reipublicæ causa subito abesse sit coactus, ut sui defensionem mandare non possit, item si in hostium vinculis & potestate esse cœperit *l. sed & 23. D. h. t. & ibi Altesler. in recit. quot.*

XI. Mora dividitur in *d. l. mora 32. D. h. t.* quod alia fiat ex Re, Alia ex Persona. Ex Re intelligitur mora fieri, quando tempus elaplum vel ipsa lex instat & monet sine facto hominis: & ideo si secundum eam quid non fiat, vel non præstetur, moram quis incurrit & damna ejus; veluti si constituat tempus solvendi, vel faciendi, aut si constituat moram ratione rei sine interpellatione committi: ita lex furem & violentem possessorem in mora constituit, cum sciat vel scire debeat se alienum possidere, & teneri ad restitutionem. *l. in re 8. §. 1. D. de cond. furt.* Similiter Socium, qui pecuniam communem invasit & in suos usus convertit, morosum facit, & in usuras hoc ipso condemnat *l. 1. §. 1. D. h. t. Perez. ad h. t. C. num. 26.* Ex Persona mora est, quæ nascitur ex interpellatione personæ ejus, quæ debet vel cui debetur *l. mora 32. D. h. t. Ex persona esse,* non est hic, *Persona coherere.* Mortua enim ea persona, quæ moram fecit, non necesse est repeti interpellationem in personam heredis. *l. cum patri 27. D. h. t. & ibi Cujac. Tract. 8. ad Afric.* Interpellatio est admonitio, testato fieri solita solvendi vel accipiendi ejus quod debetur. *Arg. l. qui Romæ 122. in pr. D. de verb. obl.* Hæc dividitur in judicialem, & extrajudicialem, judicialis fit per litis contestationem. *l. 1. & 2. D. h. t.* Extrajudicialis fit per privatam denuntiationem. *d. l. mora 32. in pr. D. h. t.*

XII. Controvertunt interpretes, num unica interpellatio sufficiat ad constituendum debitorem in mora? & rectius mea opinione sentiunt illi, qui unicam legitime factam sufficere arbitrantur, cum, qui certior factus est, non debeat amplius certiorari *l. 1.*

§. 1. in fin D. de Act. empt. modo tamen creditor post interpellationem urgeat & instet pro solutione *l. mora* 32. §. 1. D. h. t. itaque instantia post interpellationem perseverare debet, sed non est repetenda interpellatio, seu admonitio coram testibus nuncupata, idque probant textus in *l. Titia* 87. §. 1. D. de leg. 2. l. si ex 23. & *l. 122.* §. Seja 5. D. de verb. obl. & *d. l. mora* 32. D. h. t. qui utuntur numero singulari & interpellationem non interpellationes exigunt ad creandam moram. Nec movet *d. l. 122.* §. coheredes 3. D. de verb. obl. ubi mulier coheres sæpius tutores liberorum coheredis testato convenisse proponitur, & desiderasse, aut ut suam communis prædii partem emerent, aut pupillorum suorum venderent, quia non sequitur in casu *d. §. coheredes* 3. interpellatio sæpius facta est, ergo sæpius est facienda. Quod enim ex abundanti fit, ex eo jus non sumitur, & *l. sed licet* 12. D. de offic. præsid. Docet, non esse spectandum quid Romæ fiat, sed quid fieri debeat. Eodem modo concilianda est *l. Emilius* 38. D. de minor. Latius hæc tractat Cujacius in *tract. 8. ad Afric. in l. cum patrif.* 27. D. h. t. Sicuti vero una interpellatio debitorem, ita una oblatio pecuniæ opportuno loco & tempore facta creditorem in mora constituit *l. qui decem* 72. D. de solut. Opponitur *d. l. 122.* §. Seja 5. D. de verb. obl. Si Seja non cessasset ex stipulatione offerre pecuniam, jure usuras non deberi. Respondet Donnellus in *comm. ad eamd. l.* hic non requiri jugem pecuniæ oblationem, ut creditor constituatur in mora, sed verba, si Seja non cessasset offerre, ita esse intelligenda, ac si Scævola dixisset, si Seja obtulisset. Sicut, inquit, ea dicitur cessare offerre quæ non offert, cum debet: ita non cessare offerre ea intelligenda est, quæ offert cum est opus. Ego malle respondere ad *d. §. Seja* 5. D. de verb. obl. eodem modo ut supra ad *d. §. coheredes* 3. *ejusd. l. & tit.* nempe, quod non sequatur pecuniam creditori crebro esse offerendam, licet Seja crebro obtulerit. Wissenb. *Disp. ad h. t. ib.* 17.

XII. Ut autem in judiciis bonæ fidei usuræ debentur ex scriptis causis, ita ubi de usuris nihil convenit, sine mora usuræ non debentur, quantumvis diu debitor, quod ex iis contractibus debet, non solvit. *l. cum quidam* 17. §. eos D. h. t. Non obstat quod dicitur in *l. usuras* 2. C. eod. Emptorem debere pretii

pretii usuras, simul atque ei possessio tradita fuerit. Ibi enim ex tempore traditionis mora intelligitur fieri à debitore, tanquam ea traditione satis interpellato. Non obstat etiam quod dicitur in *l. 1. §. 1. D. h. t. & l. curabit 5. C. de Act. empt.* & si socius communem pecuniam invaserit, & in suos usus converterit, deberi usuras, etiam mora non interveniente. Hoc enim intelligendum est, quasi diceret, mora ex persona non interveniente, cum mora ex re sufficiat.

XIV. Sequitur alterum caput, nempe de usurarum quantitate, quæ exprimi solet terminis ab Assis consuetudine desumptis. Assis enim locum in usuris centesima obtinet, ad eamque reliquæ omnes rediguntur. *Centesima* autem *usura* dicuntur, quæ ex singulis centenis nummis duodenos nummos quotannis efficiunt: sic dicta quod earum menstrua quantitas centesima pars sit sortis *l. nihil 4. §. ult. D. de naut. fœn. l. si pro 8. C. si cert. pet. Semisses usurae*, quæ quasi dimidiæ centesimæ sunt: nempe, cum pro centum aureis sex quotannis penduntur, ita ut usura menstrua ducentesima sit pars sortis *l. alumna 30. D. de adim. leg. & l. dominum 3. D. quod jussu*. vocantur aliquando *semissales*, ut in *l. septicia 10. D. de pollicit.* *Usura quincunces* sunt, quæ quintam centesimæ reddunt, nempe quinque aureos pro centum *l. cum servus 15. D. de adim. leg. & l. cum quidam 17. D. h. t. Trientes usurae* sunt, cum in sortem centum quatuor nummi penduntur *l. 7. §. qua autem 10. D. de adm. tut.* *Quadrantes* vero *usurae* sunt, cum in sortem centum tres nummi quotannis præstantur *l. 21. §. largius 4. D. de ann. leg.* *Septunces* vero, quoties septem aurei. *Besses*, quoties in singula centena octo annua præstantur *l. 26. §. illos vero C. h. t.* *Dodrantes* vero, cum novem. *Dextantes*, quoties pro centum aureis quotannis decem redduntur. *Deunces* vero undecim aureos pro centum efficiunt. *Uncia usura* in centenos aureos unum annum reddunt *l. 47. §. præfectus 4. D. de adm. tut.* Hæ autem duodecimam partem centesimæ, velut Assis uncia, explent. *Briffon. lib. 19. de verb. sign. in voce Usura.*

XV. Justinianus, ut insatiabilem mutuantium avaritiam cohiberet, legitimum usurarum modum sua constitutione definiit *l. eos qui 26. §. 1. C. h. t.* pro negotiorum diversorum qua-

litate & personarum conditione alias majores, alias minores constituens. Majores usuræ, nempe centesimæ in quibusdam casibus tantum permittuntur, & quidem 1. in pecunia trajectitia, in qua jus vetus infinitum scenus & immensas usuras stipulari permittit, teste Paulo *lib. 2. sent. tit. 14.* ubi inquit: *Trajectitia pecunia propter periculum creditoris, quamdiu navigat navis, infinitas usuras recipere poterat.* Dicitur trajectitia pecunia, quæ trans mare vehenda datur, quæ enim eodem loco consumitur, trajectitia non est. *l. 1. D. de naut. fœn. 2.* Eisdem etiam usuras admittit Imperator, cum species scenori dantur, Frumentum, Triticum, Hordeum, Oleum aliique fructus *l. oleo 23. & d. l. 26. §. 1. C. h. t.* fieri enim potest, ut tempore adjecto restitutioni minus valeant duodecim modii frumenti, quam tempore dationis, seu mutui. Qua etiam ratione in suis Novelis, cum Agricola frumentum creditur, permittit centesimas; at cum pecunia ei creditur, permittit trientes tantum: namque servatur vulgaris usurarum modus cum pecunia creditur & redditur *l. cum non 16. & l. pro auro 25. C. h. t. 3.* Cum tutor pecuniam pupillarem in usus suos convertit, dolo & clam contutoribus suis *l. qui sine 38. de negot. gest. 4.* Condemnati post quadrimestres inducias præstant usuras centesimas *l. ult. C. de usur. rei jud. 5.* Centesimas usuras exigit Socius a Socio, qui sumptus in refectionem communis ædificii solvere detrectat *l. si ut 4. C. de adif. priv.* Illustribus personis in quocunque contractu vili, vel maximo non licet stipulari usuras ultra trientes *d. l. 26. §. 1. C. h. t.* Illos vero, qui ergasteriis præsumunt, vel aliquam licitam negotiationem gerunt, usque ad bessem centesimæ usurarum nomine in quocunque contractu suam stipulationem moderari jubet Imperator in *d. l. 26. §. 1. vers. illos vero C. h. t.* cæteris autem omnibus hominibus dimidiam tantummodo centesimæ usurarum nomine stipulari permittitur in *d. l. 26. §. 1. in vers. cæteros C. h. t.*

XVI. Si tamen quis pecuniam mutuam dedisset ea lege ut fructibus pignoris uteretur, frueretur in vicem usurarum, donec pecunia redderetur, etsi fructus percepti excederent legitimum usurarum modum, non tamen diceretur scenus illicitum hoc jure, quo pactum *ἀντιχρησίου* receptum est, propter incertum

tum fructuum eventum *l. si ex 14. & l. si ea 17. C. h. t.* jure canonico improbatur hoc pactum, quia conventioni usurarum proxime accedit *c. 7. extra de jurejur. & c. 5. extra de empt. vend.* excipit tamen duos casus, nempe si feudi dominus à cliente suo feudum beneficiarium in pignus accipiat *c. 1. extra de feud. & c. 8. extra h. t.* vel si possessiones pignori sint obligatæ donec dos solvatur; maritus enim fructus, quos percipit ex re pignorata, interim suos facit, nec reddere cogitur, aut in dotis sortem imputare *c. 16. extra h. t.* cujus ratio ibi redditur, cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda. Illius ratio hæc est, quia interim, quo feudum est obligatum domino, non tenetur ei Vasallus ad consuetum servitium; ita ut dominus non tam lucri causa, quam ratione interesse fructus retineat. *Covar. 3. Var. resol. c. 8. num. 3. Perez. ad h. t. C. num. 16.*

XVII. Si quis autem aliquid contra modum ab Imperatore in *d. l. 26. §. 1. C. h. t.* definitum fecerit, nullam penitus de superfluo habet actionem: sed si acceperit in sortem hoc imputare compellitur. Et si fors quoque soluta sit, in quantum excedunt repetuntur, quin etiam, si quæ nullo jure debitæ solutæ sint usuræ, condicuntur *l. indebitas 18. C. h. t. l. 26. §. supra duplum. 1. D. de cond. indeb. Perez. ad h. t. C. numm. 17.* Justinianus id ipsum postea confirmavit, ut simul atque debitum seu usuræ ad sortis summam excreverint, hæc procedere desinant, neque supra duplum exigi possint *l. pen. C. h. t.* & cum Imperator Antoninus statuisset, usuras diversis temporibus solutas non proficere reo seu debitori ad dupli computationem, & tunc solum ultra sortis summam usuras non exigi, quoties tempore solutionis summa usurarum excedit sortis computationem *l. usura 10. C. h. t.* Justiniano visum est indistincte usurarum solutiones, quæ fiunt per partes diversis temporibus, coacervari & in duplum computari. *nov. 121. Cap. 2. & nov. 138.*

XVIII. Usuræ usurarum jure veteri non debentur. *l. placuit. 29. D. h. t.* quod confirmat Justinianus in *l. ut nullo 28. C. h. t.* Æquitas & ratio hujus constitutionis est, quod absurdum sit eandem rem & sortem esse & usuras, quoniam fors est res principalis, usura accessio; at si usuræ usurarum recipiuntur,

eveniet, ut priores usuræ sint fors & usuræ. Nam quatenus pro sorte præstantur, sunt usuræ, quatenus autem pro iis præstantur usuræ, sunt fors. Id cum natura non patitur, secundum naturam constituitur, ne sint usuræ usurarum. Donell. *ad l. ult. C. h. t.* confirmatur quoque hæc ratio per *l. 1. de usu & usufr. legat.* ubi dicitur quod accessionis nulla sit accessio, & commodorum non sit commodum *l. 2. §. si indemnitas 5. D. de adm. rer. ad Civ. pert.* Non juvat dissentientes quod fructuum ante petitam hereditatem perceptorum præstentur usuræ *l. 51. §. fructuum 1. D. de hered. pet.* hoc enim non sequitur, quia fructus ante petitionem hereditatis percepti non tam accessionis quam fortis titulo petuntur. Fructus augent hereditatem *l. 20. §. item non solum 3. D. de hered. pet.* cum igitur hæc usuræ rationi & æquitati minime convenient, merito notantur infamia qui tam improbum fœnus audent exercere *l. improbum. 20. C. ex quib. caus. inf. irrog.* Excipitur tamen casus, quo usuræ usurarum licite exiguntur, mutato videlicet debitore, velut si Tutor aut Curator, quam usuram exegit a debitore pupilli vel adulti, in suos usus converterit, hujus summæ usuras præstabit *l. 7. §. si usuras. 12. l. 58. §. ex duobus 1. in fin. & §. ult. D. de adm. tut.* Wissenb. *Disp. ad b. t. th. 4.*

XIX. In Tertio & ultimo Capite videamus, quibus modis usuræ deberi desinant? & primo quidem Justinianus in sua *lege 26. in pr. C. h. t.* eos, qui principali actione per exceptionem triginta vel quadraginta annorum exciderunt, jubet non posse super usuris vel fructibus præteriti temporis aliquam movere quæstionem, dicendo ex iisdem temporibus eas velle sibi persolvi, quæ non ad triginta vel quadraginta præteritos annos referuntur, asserendo singulis annis earum actiones nasci. Principali enim actione non subsistente, satis supervacuum est, super usuris vel fructibus adhuc judicem cognoscere. Idem dicendum est si per sententiam judicis actio principalis sit sublata *l. in bonæ fidei 13. C. h. t.* Petenti enim obstaret exceptio rei judicatæ *l. si deposita 4. C. depositi.* ita obtinet in actionibus bonæ fidei, in quibus usurarum obligatio est accessoria. Aliud est in strictis, in quibus principaliter & per se debentur usuræ per stipulationem, ita ut constituent actionem diversam a principali

l. centum. 8. D. de eo quod cert. loc. ideoque fit, ut, principali lite finita, non extingatur usurarum petitio *l. iudicio 1. C. de jud.* tollitur quoque usurarum obligatio per solutionem vel compensationem pro rata debiti & crediti *l. tutor. 41. §. 1. D. h. t. l. cum alter. 11. & 12. D. de compensat.*

XX. Si debitor usurarius creditori pecuniam obtulerit, & eam, cum accipere nolisset, obsignaverit ac deposuerit: ex eo die usurarum ratio non habetur. *l. debitor 7. D. h. t. & l. acceptum 19. C. eod.* ex his legibus tria colliguntur requisita, ut usurarum cursus inhiberi queat. Primò requiritur ut debitor pecuniam offerat creditori. Non tamen præcise leges volunt, ut ipse debitor offerat, cum unusquisque pro debitore solvendo eum liberat etiam invitum *l. solvere. 53. D. de solut. & l. solvendo 39. D. de negot. gest.* & quod creditori sit facienda oblatio, hoc ita est, si sit copia creditoris. Quod si creditor aberit, cautum est in lege *si crediturici. 6. C. h. t.* ut debitor magistratum competentem adeat, apud quem pecuniam offerat & numeret, & faciat quæ sequuntur oblationem, ita ea res pro justa oblatione cedet. Secundò requiritur, si creditor recuset accipere pecuniam, obsignatio, quæ id continet: Quoniam nummi singuli per se obsignare non possunt, immitti debent in crumenam, vel saccum, vel capsam aliquam, & saccus obligari: deinde obligato sigillum ita imponi, ut non possit aperiri saccus, nisi remoto signo, ut eo remoto furtum possit deprehendi. Sic describi videtur obsignatio in *l. 1. §. si pecunia 36. D. depositi.* Post obsignationem requiritur solemnitas depositio, quæ describitur in *d. l. acceptam 19. C. h. t.* Est autem solemnitas depositio, cum pecunia obsignata deponitur in locum publicum, & locus publicus hic dicitur ædes sacra, vel is locus de quo iudex aditus constituerit. Donell. *ad. d. l. acceptam 19. C. h. t.* His requisitis non obstat. *l. 122. §. Seja. 5. D. de verb. obl.* ubi dicitur. *Si Seja non cessasset ex stipulatione pecuniam offerre, jure usuras non deberi.* Willenb. in *Disp. ad h. t. th. 25.* respondet, crebram pecuniæ oblationem in *d. §. Seja.* vim obsignationis & depositionis habere. Qui enim crebro & identidem offert pecuniam, ea non utitur. Proinde ejus usuras solvere non compellitur arg. *l. pupillus. 4. C. de usur. pupil.* Minus quoque urget

get argumentum ex *l. usuras. 2. C. b. r.* petitem. Ubi emptor re sibi tradita, si pretium venditori non obtulerit, usuras præstare cogitur. Ergo (colligunt adversarii) si obtulerit, ab usurarum præstatione liberabitur. Sed quam nullius momenti sit hæc Oppositio patet ex verbis sequentibus *ejusd. l. 2. C. b. r. Quamvis pecuniam obsegnatam in depositi causam habuerit, aequitatis ratione præstare cogitur.*

COROLLARIA.

I.

Possessio est species juris in re.

II.

Mulier, si virum rapuerit, tenetur quoque l. unic. C. de rapt. virg.

III.

Factum est probandum, non jus.

IV.

Tormenta non sunt legitimus veritatis indaganda modus.


V.

Qui famis extrema urgente necessitate esculenta & poculenta assumpsit, furti tenetur.

F I N I S.

TOEJUICHINGE
Aan den wel Eedelen H E E R
WILLEM DE BYE,
H E E R E V A N
STOUTENBURG, enz.

*Wanneer byna 't verdedigen der Woeker-gelden, inde
doorlugtige hooge School binnen UTRECHT, met
groote lof tot * toe-gelaaten in beide
Rechten verklaard wierd.* * Licentiaat.

 Ar Stoft 't aalouwde Atheene op zijne we-
tenschap?
Ik zie de Stigtze School nu op een hooger
trap,

Als oit Atheene klom. 'k Zie d'eedle konsten bloeyen,
Geleerdheid scheidt weêr moed; de Leereelingen groeyen
In neerstigheid en deugd; zy toonen door hun vlijt,
Dat noit de weet-lust sterft door ouderdom nog tijt.

O neen! die zal, nog kan, door geene tijd verteeren:
Maar zal van dag tot dag, nog meêr en meêr vermeêren,
Zo lang de jeugd haar mind. En of ons Vaderland
Van Vrouw Bellone word gedreigd met moord en brand,
Nog blijft Vrouw Themis onverwonnen, onbewoogen,
En waakt voor 't heilig recht met meêr dan Argus oogen.
O voetsfer van ons Land! opkweekster van de jeugd!
Gy zijt het voorbeeld van gerechtigheid en deugd:

Gy

Gy leerd het recht te doen naar Keizer Karels wetten,
En wijft den Rechter aan waar op hy hoord te letten
In 't straffen van het kwaad; en hoe hy loonen moet,
Het kwaade door de straf, het goede door het goed:
Ook dat de Rechter nooit uit wraak te streng zal straffen:
Maar dat hy ieder loon naar werken moet verschaffen.

Dees' konst zo hoog geägt, gemind van ieder een!
Heeft STOUTENBURG vaak met iever aangebeên,
En als een voetsterling aan Pallas borst gezoogen,
Waar om zy hem nu zal verëeren en verhoogen,
Met eenen Helden-krans; gevlogten van Lauw'rier;
Dog mijne zang-heldin vlegt *Loof-werk* op 't papier,
Om deezen blijden dag met haar gedicht te vieren,
Och! kon zy naar waardij uw schrander hoofd vergieren,
Haar magt is hier onnut: wijl gy op heeden zijt

Tot VOORSPRAAK van het recht door Themis ingewijf.

Betragt voortaan dan 't recht naar Roomse en Neer-
lands' rechten, A
En leer de twistzaak door de billijkheid beslechten;
Dus doende zal uw lof vergrooten meêr en meêr:
Die 't heilig recht beschermd verdiend eene eeuwige eer.

Rauco gutture, Amicus amico

canebat.

SAMUEL VANDER HEIDEN.